



12  
31

1649, 3

*Auxiliante Mediatore Suo*

DISPUTATIONEM MEDICAM

*De*

MORBO CASTRENSI

*Seu*

HUNGARICO

*Preside*

CHRISTIANO LANGEN, Phil. & Med. D.

hujusdemque Fac. Adsell. Anatom. & Chir-  
urg. Prof. Publ.

*In Academia Lipsiensi examinandam publi-  
cè proponit*

ANTON MARQUART. Susa-  
tensis,

*Ad diem XXVII. Septembr. loco horisq,  
solemnibus.*

---

LIPSIÆ,

Typis HENNINGI KOLERI,

1649.





NOBILISSIMO MAGNIFICO  
AMPLISSIMO

D. D. ANTON AFFELMAN

Jcto Excellentissimo & Sereniss. Ducis Brun-  
svic. Cancellario Eminentissimo

*Domino, Patrono, Propatri & Cognato plurimis  
nominibus honorandissimo*

SACRUM.

VIR AMPLISSIME

Mentionem TUI suavissimam hoc putes, & nihil ampli-  
us. Et si quid amplius tamen, nã urgeret id insignis Tua  
erga me Benevolentia, cui profectò ne cogitandã quidem gra-  
tiã respondere valeo. Permite ergò, Propater colendis-  
sime, ut aurã favoris Tui suaviter spirante publicè nunc exsur-  
gam, & compellatione tam chari, tamque Clarissimi nominis  
Tui observantiã meã debitum quodammodo saltim exsol-  
vam. Hæc mea est intentio, Patrone Magne, quam ut læta-  
fronte accipies & patrociniò insuper tuo ad alacrius percur-  
rendum hoc studiorum stadium calcar addere digneris ve-  
hementer rogo & obtestor. Sic Benè vale & mihi favere perge

VIR AMPLISSIME

Qui me debendã Tibi gratiã & observantiã  
reum perpetuo sentiam.

ANTON MARQVART.



## OMINE NOSTRO!

**N**otoriè capitalis est & infensissimò ho-  
stis Natura Epidemius ille morbus,  
qui in hoc inquietantis seculi turbine  
per populos manavit undiq; cunctos,  
ne parcens vel aetati cuiusvis, vel sexui  
vel temperamento, vel conditioni  
mortalium ulli. Sago tamen magè proprius & fa-  
miliarior quàm Togæ. Adeò enim numerosè Alu-  
mnos Martis internecinâ, quâ pollet, savitiâ suâ con-  
sumsit, ut ingentes & penè exercitus totos subverte-  
rit; atq; hinc plus ultra atro serpente contagio regio-  
nes populosisimas suis incolis, suisq; civibus cultissimas  
urbes & frequentissimos agros colonis suis, habitò di-  
scrimine nullo, orba verit, priva verit. Hanc cele-  
berrimam & truculentam luem in arenam medi-  
cam nunc producere animi fuit lubentia, cujus cog-  
nitionem pariter ac curationem, cum adfectibus cate-  
ris quoq; scitu omnino necessariam Medenti, his lineis  
ita comprehendere statui, ut ex multis pauca & potiora  
illa notare, atq; ne insignis hujus negotii quasi torrens  
me abriperet, fontes designarem, ex quibus has rei &  
propositi totius venas duxi postea ac deduxi. Quod ut  
bene auspiciatq; cedat,

— — — Aura sacri jucunda Favoris

Nos super irradiet — — —

A 2

Au-



THES. I.

**A** Trox hæc morbi rabies à variis indigitatur variè, quorum nonnulli eam à punctulis, petechiis, lenticulis peticulisque protinus *puncticularem seu petechialem, lenticularem peticularemq;* discipiunt nominatam; licet non satis rectè, meâ quidem sententiâ, quum illæ maculæ hîc nec solæ nec perpetuo adsint, quâ de re vide Magnum felicitis memoriæ *Felicem Platerum Tr. 2. cap. 2.* Unde & quibusdam Germanicè hunc morbum vocare placuit *das hitzige Fleckfieber.* Sic sentire conspicimus *Hieron. Facastorium, ex quo postea refert Mart. Ruland, tr. peculiari d. hoc morbo, c. 8. q. 20.* Et proinde fortassis alii cum Octaviano Roboret *lib. de morbis Petechialibus Febrem rubram aut purpuram* adfectum hunc nuncupare voluerunt: Sic enim accidens propinquum ipsius materiæ interdum se habere conspexerunt, in quâ succenditur febris, & hinc rubeo velut fulgore corporis superficies tingitur.

Th. II.

Annis superioribus *Luem Hungaricam* vel Pannonicam die *Ungarische Krankheit* ore & nomine communi adpellitârunt dubio sine, quod in regione illâ ANNO videlicet c. 1566. bellum contra Otomanigenas strepente natales suos acceperit, & ibi quam maximè innotuerit; Postea vero, quum bello digrederetur rursus miles, eo passim per omnes oras diffluente, malignum hoc malum contagione perniciosissimâ fuit hinc inde disseminatum. Sunt porro etiam qui nomen faciunt ipsi à crudeli Symptomate juxtim & parte adfectâ, dicuntque Cephalalgiam novam seu Hungaricam (videtis *Johan. Thomam. Minadom l. 1. de febr. malign. c. 3.*) quam parili sensu alii per cerebri vermem signare amârunt; Germ. die *Hirntobende Haupt-Schwachheit* (*Job. Ernest. Burggrav. tract. Germ. de hoc morb.*) CHIRURGICIS autem Castrensibus voce usitatissimâ audit, die *Breune* oder die *Hertzbreune* / ac si dicas cordis ardorem seu *Causum*.

Th. III.



Th. III.

Verum non adeo interesse multum existimo, quo nomine cognominetur hic morbus, modò intelligatur ipse, & de eo exactius realiterque constet. Non enim opus est verbis, factum ubi requiritur; quod & Galenus noster *6. M. M.* non improbat dicens, parum de nominibus debere sollicitum esse illum, qui scientiam rerum adinvenire decrevit. Adde, quod & propter deficientem nominum ἀνεξιχνίασιν in his nil penitus incommodi succrescat sanitate destitutis.

Th. IV.

Nihilominus ne certi aliquid me non determinasse accuser; à meliori manifestioriq; accipio nomen, presso pede *B. Sennerti* vestigia premens, qui *L. 4. cap. 4. de Febr. Morbum hunc Castrensem seu Militarem die Soldaten Krankheit* vocitat adpropriatissimè. A Castris enim oriundus, ad loca postmodum & ordines cæteros, tanquam à scintilla ad rogam & ad solem à radio transit. Itaque olim & ab incunabulis suis duntaxat tentoriis his erat familiaris, qui tanquã individuus comes subsequi consueverat, & quidem cum dispendio tanto, ut plures interirent violentia morbi; quam rabie Martis & cuspide ictu (*Joan. Lang. L. 1. epist. 4. Forestus l. 2. de febr. obs. 23.*)

Th. V.

Prælibato breviter hoc τῆς ὀνοματολογίας cortice Rei ipsius nucleum apprehendens *Morbum Castrensem seu Hungaricum DEFINIO* per Febrem continuam, malignam & contagiosam ab humoribus pravis & corruptissimis circa ventriculum & primas vias, item in vasis majoribus exinde delitescantibus exortam, quam junctim Symptomata multa & gravissima comitantur.

Th. VI.

Natura & formalis ratio hujus adfectus opidò elucescit ex GENERE, quod appellatione Febris exprimitur, quum consistat in calida & exitiosa maximè cordis intemperie, unde calidum nativum & temperamentum genuinum enorme vitium & vitiosissimum excessum adsciscit atque sic corpus totum præternaturali dispositione naturaliumque actionum læsione afficitur.

Th. VII.

Morbum igitur Castrensem pronuncio Febrem, sed CON-

A ;

TI-



TINUAM, qualis ut plurimum & ordinariè deprehenditur: Cor  
namque à qualitate maligna labefactatum, & ab humoribus vapo-  
ribusque putridis oppressum se tam facile liberare atque periculo  
defungi confestim sic nequit, sed potius motu continuo laceffitur  
illud, natura ad repugnandum & eluctandum invitata. CONTI-  
NUAM (putridam) dixi, sed ut PERIODICAM simul adfirmarem,  
hunc morbum, hoc est, qui periodis certis exacerbatur vehementius  
& quasi novis, magis magisque diris frequenter ingruentibus Pa-  
roxismis novos rigores ostendit. Paucis: Remittit quidem quan-  
doque paulisper, sed nihilominus sine intermissione, sed cum con-  
tinuatione. Quamvis autem typos hos certos diebus singulis al-  
ternatimque observet affectus præsens, attamen cum natura jugo  
debilitatis sit pressa, sæpius tam strictè ordinem hunc motibus suis  
largiri non valet: Hinc ERRATICÆ indolem repræsentans quan-  
doque, ejus quoque nomen nanciscitur. Inprimis tamen Praxis  
edocuit Medicorum scholam, continuò quidem, sed tertio magis  
die excruciarì & adfligi hunc Morbum patientes, quam diebus aliis;  
ideoque inter continuas periodicas tertianas in specie fuit à qui-  
busdam ille relatus. Verum non semper PUTRIDAM CONTI-  
NUAM animadverterunt Practici, sed interdum quoque SYNO-  
CHUM referre lue hanc Castrensem, unde in illarum censum,  
reponere eandem non displicuit *Cratori*. Imò non absone cum  
Medicorum Expertissimis forsàn statuerò, hunc morbum non eo-  
dem & simili semper se modo habere, nec uni proinde generi per-  
petuò addictum, sed vagantem non raro esse, & juxta morbo si ad-  
paratus genium variam sortiri differentiam, puta, nunc hanc nunc  
alteram febrium speciem assimilare: hac tamen lege, ut in una-  
quaque specie aliquid peculiare, & peculiare circumstantias in se  
habeat reconditas quibus à febrium generibus discrepare se com-  
monstrat.

Th. VIII.

CONTAGIOSAM præterea in definitione assero, quod semi-  
nio infausto conversantes inficere atque adeo in alios, & omnis æta-  
tis sexusque homines simile vitium transfundere apta nata sit. *Ru-  
landus Q. 2. § 4. c. 8.* Illos principaliter notare tentat, qui ob de-  
fectum naturæ vel Sympatheiam occultam ad suscipiendam eam  
pro-



proclives sunt atque dispositi, non secus, ac, verbi causa, pravas nebulas pruinasque suspectas decedentes in sylvas, certas duntaxat arborum species sine reliquarum nocimento videmus nonnunquam offendere. (*Vide Angel Salam. tr. de Peste & Fracastor. de Sympatib. & antipatib: ac morbi contag.*)

Th. IX.

Imò in regionibus quoque diversis in hac vel illa civitate & certis anni temporibus per aliquod spatium ejusdem generis plures ac temperamento dissimilimos interdum corripit hic morbus atque indiscriminatim adoritur, unde & meritò Epidemius seu popularis salutatur.

Th. X.

Contagionem vero quum Malignitas præcedere necessariò debeat, & febres antequam contogiosæ fiant, rectè dicantur malignæ, jure & Hungaricam hæc nominavi MALIGNAM, imò cum D. D. Sennerto febribus cæteris perniciosiorem, ut pene naturam pestilentia ob oculos ponat; quemadmodum postea id quoque signorum declaratio clariùs prolixiusque dabit. Insuper causa hujus mali ad qualitates manifestas & elementares omnimodè referri nequit, sed ad occultiores illas est confrugiendum, & in morbo totius substantiæ, in quo *δειον* aliquid latet, juxta acquiescendum. Pessima demum symptomata quæ conjuncta habet, & à Principio insignem sine causa manifesta virium prostrationem inferunt, locupletissimi hujus rei testes assertoresque non esse non possunt. Enormem itaq; tam putredinem ac Calorem accuso, quo febris continua est; quàm malignitatem, quàm exitiosam molestiam adfert; quàm contagium, quod illius est inauspicata soboles.

Th. XI.

Subjectum PRIMARIUM si quæris, illud Cor est, quod gravissimo insultu & angore exercetur. Docet hoc præter ipsam ægroantium querimoniam pulsus languidus ac inæqualis, qui hanc afflictionem digito velut, ut horas solare quoddam, demonstrat; docet id quoque subitanea & pene feralis virium infirmitas, ab initio statim morbi se exerens, quæ non nisi, corde immensum in modum patiente, provenire potest. Subjectum secundarium sistunt viscera reliqua, quæ mirè compatiuntur & pessime simul mulentantur. De quo



quo non dubitare jussit *autopsia* ex cadaverum hac lue interemtorum dissectione, ubi non tantum cor flaccidum, & jecur phlegmone occupatum, sed & ventriculus pulmonesque siderati ac nigricantes usque adeo *visifuerunt*, ac si epoto veneno membra tam funeste inquinata. Laborat etiam non raro sedes facultatis nobilissimæ, cerebrum, undè profectò perfectè delirant decumbentes, & exinde *adstantes* conterrentur vel solo adspectu.

Th. XII.

Quid per *morbum Castrensem* igitur mihi propriè velim, ex jam dictis nunc liquet. Verum quum ille non semper uniformis in subjectis omnibus adpareat sed sæpiusculè variet, opere præteritum hic duco, debitâ diligentia eum à se ipso distinguere & quotuplex sit ille notanter exponere.

Th. XIII.

Et primò quidem ratione GENERIS seu FORMÆ sciendum est dispositionem hanc præternaturalem considerari respectu intemperiei manifestæ vel occultæ, & sic aliam esse malignitatem, in quâ ea putredini est æqualis, aliam rursus in quâ inferior & Minor est Malignitas. Quando igitur putredo superat malignitatem, secundum febris putridæ naturâ maligna evadit vel continens, quæ nullas notatu dignas mutationes passa æqualiter perpetuò affligit: vel continua periodica, continuò quidem durans, sed quæ certis periodis vel singulis aut alternis dieb; exacerbatur, & nonnunquam tertianæ typum mentitur.

Th. XIV.

Sæpè tamen contingit, ut natura oppressa in motibus his ordinem certum & determinatum servare non valeat, sed aberret; & hinc erraticæ speciem exhibeat. Intermittentes malignæ tamen raro aut nunquam dantur. Si vero malignitas putredinis æquet tenorem, ratione illius etiam differentia notabiles suboriuntur, quas tamen à priori exactè dignoscere caligini mentis nostræ non concessum: nisi fortè quis venena Mercurialia, Aconitica, Arsenicalia, Cicutalia &c. (quæ tamen, quicquid mortalium audeat ambitio, æquè nobis incognita sunt) his febribus comparare velit, de quo *Josephus Quercetanus in suo pestis Alexicaco cap. 6. Balthasar Conradinus in lib. suo de Hungarica Dn. Mundererus in appendice l. de pestilentia*

Burg



*Burggravius perquam sibi hanc in re placens loc. all.* sed à posteriori eam non esse uniformem colligere licet, dum nempe palam videmus varia illa & notissima Symptomata, quibus malignitas delitescens, se prodit: & id quidem aliquando affectibus capitis, aliquando malis medii, interdum infimi ventris partes exercentibus, eodem scilicet modo, quo veneni natura variare, & singulari antipathia hanc vel illam Corporis partem afficere solet.

XV. Secundò: Ratione causarum, morbus Hungaricus, Alius fit per Essentiam, quando per contagium cor immediatè malignitatis flammâ accenditur: alius per Consensum qui mediantibus vaporibus malignis & putridis ex morbosâ humorum congerie ab inferioribus partibus elevatis excitatur. Et rursus alius ab humore summè putrido & maligno proficiscitur: alius inducitur ab aere infecto, alius etiam à victus communis vitio, sæpè etiam junctim, & interdum quidem pluribus vel paucioribus, nonnunquam levioribus vel gravioribus Symptomatibus, pro vehementiâ causarum comitatus: Unde vel Epidemicus evadit, vel Sporadicus.

XVI. Absolutâ quali quali naturæ & differentiarum hujus morbi per investigatione, CAUSAM IMMEDIATAM profero, quæ consistit in illâ peculiari malignitate, cordi inimicâ & ebullitionem sanguinis excitante, aliaque deteriora Symptomata introducete.

XVII. Varia autem illa Symptomata oriuntur à Ca cochymia Biliosa, ab accensione Biliosi, aliquando Pituitosi, aut adustione Melancholici humoris &c. hinc alios ægrotos vigiliæ aut sopor, alios delirium, angina alios, alios Cardialgia aut dysenteria, aut alvi obstructions, & quæ sunt ejus farinae alia infestant; ut plurimum tamen prædominium bilis viget, quæ unumquemque humorem ad incensionem & putredinem aliàs aptum in consortium facile trahit, ut ita rarò ex simplici sed ut plurimum in æquali materiâ oriatur hujus morbi malignitas. Bilis verò per se & ex sua naturâ symptomata inducit acutissima. Ex adverso pituita retundit quodammodo hunc bilis impetum, & audacem illius velat faciem; hinc febre malignâ laborantes carnes habent ad primû contactum non tam acriter, sed leviter calentes, quas tamen si diutius manu sollicitare perseveres, ferme candenti ferro consimiles credas.



XIIX. Malignitas autem humorum horumadem & eorum specifica natura per sua puncta causasque accuratiores diducenda accuratius nunc esset: Sed cum Comico fateri cogor: De hac nihil scio, nisi Nescio: & mecum fortassis omnes mortali de stirpe creati, Adeo nostri nos arcet ingenii imbecillitas à notitia secretorum, quæ nos mirari duntaxat voluit natura, scire noluit. Sic plane etiam cum malignitate illâ comparatum est, ut de ea hætenus nihil nobis relinquere potuerint Majores, nisi verisimilia, nisi incerta, nisi falsa. Nonnulli quidem sunt conati, qualitates arsenici aut napelli assignare ipsi, hoc est, obscurum per æque obscurum tradere, quum specifica horum toxicorum proprietates parilibus tenebris sit recta. Optarem tamen ex hoc ignorantia pelago duci ad ejus scientia portum, ne ad qualitatibus abstrusarum refugere asylum haberem, necesse. Quæ gratia nunquam etiam apud me vana erit.

XIX. Causas ergo à rebus non naturalibus & quidem duabus iis præsertim peto. 1. à dispositione aeris p.n. quatenus idoneus est ad congenerandum hoc malum, vel quatenus etiam à putridis vaporibus morbidisque excretionibus coinquinatur. 2. A prava victus ratione, quæ nullibi locorum, certè in castris maxime viget.

XX. Inquinamenta in aerem deferuntur à castrorum sordibus inevitabilibus, à cadaveribus, tum hominum crudeli Marti in præliis immolatorum aut morbis contagiosis extinctorum, tum brutorum per agros, sparsim jacentium & inhumatorum; porro à paludibus stagnisque putidis, item à specubus vel cavernis malignos & tetros exhalantibus vapores, adeo ut etiam admota paulisper animalia statim enecare valeant, quales concernere licet peregrinantibus prope Monspelim & Neapolim. Item à piscium circa littora disperforum corruptela ac foetore. Quæ quidem putrida ac morbida *viduata* per aerem diffusa ac postmodum cum eo inspiratione attracta, cordique insinuata prompte malignam hanc luem ingenerare & suscitare possunt. Cum primis vero in Hungaria aer aliquid singulare habet: vel enim extreme crassus est, & nocte nebulis inspissatus, vel iis discussus insigniter rursus subtilis & æstate æstuosus evadit, atque sic duobus his non assuetis est insensibilissimus. *Vid. Senn. c. 1.*

XXI. His accedit quod plurimis qui castra sequuntur sit commu-

ne



ne sub dio humi cubare, vapores è terra ascendentes excipere, plus  
viarum injurias perferre & vestimenta madefacta cum siccis  
haud commutare posse. Unde tot absurditates & tot malignitatis  
fontes. (vid. Tobiam Coberum obs. Castrens. decad. 1. obs. 10.)

XXII. Deinde pravam victus rationem quod attinet, ob tam  
longinquam belli in multis regionibus continuationem tanta est u-  
tique præsertim tamen in castris annonæ caritas, ac penuria, ut ma-  
xima militū pars intelibili fame emaciata, ac penè enecta pravis,  
insuetis, naturæque adversis & quicquid in buccam venit cibariis  
vesci cogatur.

XXIII. Panes enim nunc è corrupta ac rancida farina confe-  
cti, non fermentati, vixè clibano detracti & adhuc calentes, item,  
mucore obfiti, sæpè furfures scabitiè terram nigredine æquantes in  
castris pro ambrosia avidissime comeduntur.

XXIV. Carnes equorum, canum, felium, vulpium ac luporum  
gregariis militibus grata sunt obsonia: interdum nec ab esu carni-  
um humanarum abstinetur, uti ante aliquot annos id factum esse  
memoriter adhuc meminimus. Talium autem bestiarum recens  
mactatarum tepentia adhuc exta ollis inclusa nonnulli elixant:  
aliqui carnes tremulas adhuc animamque spirantes veribus affixas  
torrent, ac semicrudas imò crudas sæpius plerumque sine pane,  
sine sale, foedissime deglutiunt. (vid. Tobiam Coberum decad. 1. observ.  
Castrens. 6. & decad. 3. observ. 8.)

XXV. Inprimis vero non ignota est olitoribus ferox militum  
ingluvies ac voracitas, qua illi poma penitus immatura & quosvis  
alios fructus ne ad umbiculum quidem maturitatis perventos aut  
fugaces saltem illos, quibus hi vel illi loci abundant, confertim  
excutiunt & immodicè porcorum ad instar, qui nil habent, quod  
bene curent, præter ventrem, cum magno suo damno in alvum præ-  
cipitant.

XXVI. Potus ut plurimum est aqua palustris, lutulenta, fætida,  
& putrida, mephitimque redolens. (Coberus decad. 1. observ. 7. in m.  
observ. 3. decad. 3.) cerevisia recens, crassa, turbida, foeculenta. Vina  
dulcia, austera pendula, sulphurata, Tartarea & inprimis potentia  
illa quæ Regna Bohemiæ & Hungariæ copiosè proferunt. Sic Stor-  
dinus apud Schenckium ea meracionis vini ingurgitatione in



talem febrem cum delirio gravi incidit, & florenti ætate humanis cessit. Ubi notandum præcipuè pro pharmaco vehementissimum virus usurpare illos, qui crudum cibum crudamque aquam corrigere student validi vini potione. Ita namque cruditates illæ quæ jam in coctionis primæ organo delitescunt, tanquam vehiculo egregio ad venas exiliores & sanguificationis œconomiam devehuntur atque adeo malum hoc evidentissimè progignitur potius.

XXVII. Ex horum itaque & similibus alimentorum pravorum usu & esu necessario sanguis vitiosus humoresque putridi in corpore humano progerminant & accumulatur, qui nisi vel singulari temperamentii bonitate, naturæque robore evincantur, aut crebrioris exerciti adminiculo per ἀδελον διαπνοην discutiantur, sed in vasis aliisque corporis partibus præter naturæ legem diutius retineantur, tunc illi indies majorem pravitatem acquirentes ac non raro venenatam quasi naturam induentes (cum à calore amplius regi non possint) varios & malignos ejaculantur halitus ac fuligines, quæ aeris ambientis adjumento excitatæ & ad cor delatæ spiritibusque vitalibus permixtæ facillè malignam hanc labem producere possunt.

XXVIII. Porro etiam animi perturbationes, commotiones, imaginationes absurdæ & omnes affectus insolidi, spiritus vitales debilitant, & adjutrices oppidò manus huic morbo porrigunt. Mæror quoque potens est in humoribus præparandis ad induendam summam putredinem; quemadmodum observavit Mercurialis non semel, exitiosissimas febres ab immenso mœrore statim excitas. Qui effectus etiam reliquis quæ in rerum non naturalium serie deprehenduntur, si rectè se non habeant, tanquam adjuvantibus causis, adscribitur rectè. (vid. Coberum obs. 9. decad. 1.)

XXIX. Ad signa hujus febris tam Diagnostica quam Prognostica, justo ordine me nunc converto. Sunt autem ea ipsa ferè, quæ alias & in aliis febribus, malignis præsertim comparere solent. Proinde etiam vix signa Pathognomica, quæ sc. febrì huic soli & omni semper conveniant peculiaria designari queunt. Allaborabo interim eruere pathognomicum illud ex signorum plurium Syndrome atque concursu.

XXX. XXXX.



XXX. Omnia autem ista diagnostica signa pro facultatum tri-  
nario numero triplicia astruo, desumpta nempe à læsâ facultate  
vitali, animali & naturali: Et hoc universale signum est hujus mor-  
bi, quod sese ad quamvis læsam extendat facultatem.

XXXI. In facultate itaque vitali occurrunt hæc signa: Calor  
qui apparet in hæc febre malignâ, non semper, ut in putrida sim-  
plici, ita acris est, sed in principio ut plurimum foris sentitur mi-  
tis, licet tum subinde interiora flagrent & magna adsit putredo,  
quâ præfente acrior paulò post quoq; ad tactum existit, usque adeo,  
ut ægroti interdum ob nimium æstum se in aquam egerint præcipi-  
tes. Pulsus ab initio frequens est, & parvus, imprimis autem de-  
bilis, ob pravam putredini junctam qualitatem, quâ cor magis læ-  
bascit, quam ab ipso febrili calore. Non negligendum hic  
quod pulsus in dicto principio sæpè deprehendatur naturali  
tenori similis, & ista simulatione non difficulter eludat, ideo-  
que circumspicere hic agere tenetur Medicus, ne pulsui soli natu-  
ralem faciem quandoque exhibenti fidat, sed reliqua accidentia  
conjunctim consideret, & probe animò suo volvat atque examinet,  
quæ si prava invenerit, talem pulsum pro naturali minimè declara-  
bit. Pulsus insuper in hac febre, & quidem nonnunquam initio  
statim formicans animadvertitur, minimus item & frequentissi-  
mus haut dubiè à materiæ malignitate talis: Præterea, appetente  
augmento, variat ut plurimum ac inæqualis præcipue (quo infal-  
libiliter malignitatis præsentia indicatur) existit, interdum elapsis  
primis diebus fit intercidens, nec non conquassatis viribus ob natu-  
ræ & materiæ pugnam, victoriamque dubiam deprehenditur inor-  
dinatus. Ægrotum quoque affligunt lipothymia, syncope, cordis  
palpitatio, & tremor, item solito major anxietas, inquietudo, cor-  
poris jactatio assidua, dolorque circa præcordia obortus, difficilis  
item respiratio, tussis oppido frequens ægrosque plurimos magna  
cum molestia fatigans. Est autem illa non rarò sicca & absque ma-  
teriæ rejectione, à siccitate scilicet aut irritatione partium spiritali-  
um à vaporibus acris proveniens: Præsertim totius corporis læ-  
situs adest, & plerosque hinc de virium solummodo languore atq;  
dejectione conquerentes audire licet. Sie sind nur mat. (Job. Obern-  
dörffer in. von der Bngerischen Krankheit.

XXXI. In facultate Animali se offerunt vigilæ nimix quibus  
ple-



pleriq; exercentur, multos etiam sopor è cõtra occupare solet pro capitis scilicet dispositione & materiæ conditione ac varietate, dum vel vapores acres & somnum prohibentes vel narcoticos & soporem efficientes in caput mittit. Somnus etiam variis & absurdis insomniis turbatur. Ad sunt quoque deliria, cum, vel sine furore, interdum memoria variè læditur, convelluntur membra, vertigine caput tentatur, & Symptomatibus aliis excruciatu æger. Oculi insuper caligant, rubent, lachrymisque stillant, aures modò tinnunt, modò obsurdescunt, adest deglutiendi difficultas, gustatò læsio, faucium inflammatio & exulceratio; Lingua sentitur arida, scabra, fissa, vocisq; formandæ vi non rarò destituta.

XXXIII. In facultate denique naturali multifaria quoque veniunt observanda; ceu sunt, stomachi gravitas & compressio, cardialgia, nausea & ab omni ferè cibo abstinentia. Item vomitus, immodicâ frequentia molestissimi & ob incendium interdum quoque sitis, quamvis quosdam potum non adeo efflagitare sit verisimile, quod cor potius in his per aeris frigidioris attractionem, temperari velit, quam ut calor stomachi qui multis scætet humorib; quicquam urgere habeat necessum, de quo accede *Gregor. Horstium obs. 29. l. 1.* Rerum quoque variarum excretiones, vermium puta, alteriusve materiæ vitiosæ & corruptæ, sive id contingat per nares sive ex ventriculo sive per vesicam aut per alvum: Hinc sæpè fluxus alvi biliosi & alii, colliquativi item, epatici, dysenterici; sanguinis item per quameunque corporis partem rejectio inordinata, inconveniens & enormis. Interdum & non rarò alvi obstructio ob æstuantem & nimis exiccantem calorem non deficit.

XXXIV. Urina in proœmio morbi nunc laudabilis sanorumq; similis adeoque ad decipiendum prona, modo tenuis, aquosa, cruda, omnisque sedimenti expers. In progressu vero sæpè crassa turbida, rubea, flammea cum sedimento turbulento foetido ac tartareo conspicitur.

XXXV. Demum & propter ebullientis sanguinis tenuioris & magis vaporosi in extimam corporis superficiem à Natura stimulata protrusionem maculæ nonnunquam apparent. Et tantum designis hujus morbi diagnosticis.

XXXVI. πρόγνωσις jam succedit seu exitus illud vaticinium,  
de



de quo cunctos anxie videmus sollicitos. Quod, inquam decum-  
bens timide explorat, adstantes curiosissime suscitatur, Medicus  
ipse tacitis argumentis colligit. Difficile autem hic est, juxta Me-  
dicorum Principem Hip. 2. Aph. 19. veluti in acutis reliquis, ali-  
quid prædicere certi. Quicquid sit, cautè pronuntiandum hæc in  
re erit, ne aut præpostera securitatis causa sit Medicus, & sic in  
scyllam incidat ægrotus; nevé metum & desperationem incitamus,  
sed potius diligentiam ac circumspeditionem suscitet. Itaque non  
periculum certum, sed spem dubiam adesse enunciet, morbi qui-  
dem magnitudinem exponat, sed potius naturam & ejus ostendat  
morem. Summatim prognostica non præcipitanda sunt. Sæpè enim  
præsentibus quamvis lethalibus signis, revixit salutis jam sepulta  
cogitatio & cõvaluit æger: E contra vero, sæpissimè signis benè, aut  
non male se habentibus ille insperatò in sua fata ruit. Adeoque  
nullum adeò malum existit signum, quod mortem, neque ullum  
adeò bonum quod salutem certo & firmiter semperque portendat,  
In quo medio quoque Medicus tutissimus ibit.

XXXVII. Ut ergo febres malignæ curatu sunt difficiles, præ-  
sertim si constantiora & majora urgent Symptomata: ita & præsens  
morbus Ungaricus; Cujus eventum quoque jure judico ancipitem:  
quamvis habet tã *exors* ad febrem pestilentialem, vel pestem et-  
iam non tam periculosus & perniciosus adeoque sanatu facilius  
appareat.

XXXVIII. Mitissima autem febris maligna & exors periculi  
tenetur illa, si medicamenta adhibita, cibus & potus non evoman-  
tur rursus, sique materia maligna à natura vel hausto alixipharma-  
co certò tempore per sudores ejiciatur, si ægrotus in principio mor-  
bi magnam vitiosorum humorum colluviem per vomitum aut in-  
feriorem gutturem cum *euφopice* excernat: Si porrò urina non ad-  
modum crassa & turbida, si per totum morbi decursum æger sa-  
næ mentis compos permaneat aut deliria saltim interveniant le-  
via ac momentanea: Item si vires cum symptomatibus collatæ fir-  
miores existant & ipsa symptomata mitescant atque remittant, bo-  
nam spem optatumque eventum prælucent. Sin contra, Atram  
imminere Divam prælagiunt.

XXXIX. Periculo præterea summò non caret hic Morbus, si  
sym



symptomatum præsto sit concursus: si omnimoda & diuturna appetitus ablatio perseveret, sique vomitio enormis cum singultu continuo excruciet. Item suppressio alvi ab initio contumax vel alvi excretiones colliquativæ seu insignis ille fluxus epaticus sanguinisq; per quamcunque corporis partem, non tempore dumtaxat & quantitate, verum etiam qualitate peccantis quodvis profluvium malum interminantur. Nec benè ominatur urina vel tenuis semper, vel crassa & turbida, ut & purpureo, viridi, livido, vel etiam nigro colore tincta, nisi forte hoc contingat criticè, & cum naturæ *evpoeia*, Sudor paucus frigidus, particularis pessimæ est notæ. Facies cadaverosa & Hippocratica est pessima. Item lingua denigrata fissa aut subviridè pallida; Capitis dolor contumax, delirium constans, phrenitis, vigiliæ immodicæ, aut somnus turbulentus, aut Lethargus, linguæ manusque tremebundæ, convulsiones, Frequens animi deliquium, pulsus languidus, Respiratio minuta, parva, rara, & quæ sunt ejusmodi cætera, quæ vereri ultima jubent.

XL. Cum primis vero enumerata hæc Syptomata si junctim concurrant, sique viribus jam fractis atque prostratis favere & indies ingravescere pergant, aut alia subinde superveniant, & omnia in deterius vergant protinus, actum est de salute.

XLI. Dubium quoque prognosticum exhibent exanthemata illa & maculæ lividæ, plumbeæ latæq; per cutem in aliquibus quandoque efflorescentes (*Forest. l. 6. obs. 37.*) Si enim in morbi principio copiosè in quâpiam certa corporis parte, cum primis in facie, collo, vel dorso emergant, ægrique indè deterius habeant pro malo putandum signo: Non diffido tamen, melius longè esse, materiam talem protrudi foràs, quàm intus detineri, satiusque esse humorem vitiosum versus exteriora vergere, quam ad interiora penetrare, & naturæ conatui obstare.

XLII. Perlustravi sic quoque signa; restat nunc ut ad scopum & intentionem ipsam, quæ est curatio, descendam. Geminam autem constituo illam Prophylacticam nimirum & Therapeuticam propriè sic dictam.

XLIII. Prophylaxis consistit in causarum, quæ corpora humana ad labem hanc concipiendam disponere possunt, omnimodâ ablatione. Cui proposito rectè consulit Medicus, si pletho-

rx



ra succurrat venæsectione & Cacochymia debita purgatione, e.g. per pilulas Ruffi quæ maximam hic merentur laudem ad ʒj, pondus deglutitæ; Item nec minoris efficaciam est Elixir Proprietatis Paracelsi, humores superfluos leniter subducens & putredini imprimis malignæ resistens. Contagium verò altexipharmacis, Radice contrajiervæ, angelicæ, anthoræ, item Bezoardicis ac Diaphoreticis quorum prolixior in Theraheia fiet mentio, à corpore procul arceri potest.

XLIV. Jam victus hic quoque frugalis & conveniens esset præscribendus: Verum cum in castris ob intemperantiam accurata ejus observatio optanda potius quam impetranda sit: Ideò longiori filo eum pertexere lubenter hac vice supersedeo, gressumque ad id quod urget h. e. ad curationem dirigo.

XLV. Quatuor autem hujus luis curandæ scopos potissimum præfigo, ad quos sedulo animo collimare, omnemque curationis rationem dirigere par est, qui insidiosum hunc hostem debellare ac in fugam, vertere aggreditur.

XLVI. 1. Fomes malignitatis averruncandus est. 2. Maligna qualitas naturæ toto genere è diametro contraria immutanda atque è centro ad circumferentiam prolicienda. 3. Cor vitæ domicilium, à venenatâ illa ac deleteria malignitate summo studio præmuniendum pariter ac corroborandum, partesque reliquæ hæc lue obsessæ non negligendæ. 4. Symptomatum, quæ hic gravissima, quasi agmine factò, concurrunt, ac non rarò universam medendi methodum planè invertunt, accurata ratio est habenda, eaque pro virili demulcenda ac emendanda veniunt.

XLVII. Atque hosce scopos trigâ præsidiorum commodissimè attingere possumus Pharmacia nimirum, Chirurgia & Diætâ legitime adhibitis.

XLVIII. In fonte Pharmaceutico purgantia tanquam summa & universalialia remedia primitus more consveto in medium produci solent, de quibus, an convenient huic morbo, quid ego sentiam, paucis declarabo. Non autem ignoro plerosque principio morbi confugere ad hoc præsidii genus, additâ cautelâ, ne insigniora illa sint & robusta, sed lenitiva duntaxat & laxantia malignitatisque simul resistentia addenda, quo sane, ut ego quidem arbitror, nil aliud proficiunt, quam quod moveant, sed nihil promoveant adeoq; naturam quasi seducendo in contraria & absurda trahant.

C

XLIX.



XLIX. Sententiæ igitur illorum nuntium mitto & cum *Neoteris practis* potius facio, inter quos *Mundererus* sanissime ait, ab initio in febribus malignis (& proinde etiam in hoc morbo) plane non utendum esse purgantibus, sed ilicò ac potius ad alexipharmaca deprope-  
randum. Rationem esse planissimam rationalibus Medicis opinor. Si enim ullo in morbo dejiuntur vires, ad quarum conservationem respiciendum est potissimum, certè in malignis febribus confieri hoc totà die experiuntur practici. Purgantia vero vel bene valentes ad lassitudinem redigere valent; Quanto magis illos, qui graviter jam decumbunt. Imò & ipsam sæpe animam sic expurgare videmus Empyricos. Deinde manifesto ignis additur igni & malum vehementissime exacerbatur ab iis qui purgantia, quippe quæ caliditate excedunt, malignitate laborantibus propinant. Tertiò vulgare est, purgantia fortiora quodammodo accedere ad veneni naturam; quis ergo tam audax esset malignitatis flammæ ulterius suppeditare flamen. Et denique nullum est dubium, quin malignitas vi purgantium penitus trahatur ad centrum atque summopere accendatur, omnia in corpore turbentur, natura in expugnando hoste & per ordinarias vias propellendo sic impediatur extra controversiam nullam.

L. Quum tamen alvus utique esse debeat aperta & laxa, atque ut hærentes in ventriculo & intestinis cruditates impuritatesque proliciantur, maximopere necessum sit; egregium & tutissimum certè vicarium habemus in Clysteribus, quorum beneficio, quicquid fuligines atque exhalationes creare aut calorem reddere exæstuantem potest, jucundè & in tempore removetur. Ut verò hoc ipsum eo facilius valeamus exequi ea enemati admiscenda, quæ vi trahendi suavissima polent. Commodissimè autem componuntur hi Clysteres ex decocto emoll. & refriger. Centaur. minore, scordio, in quibus dissolvi potest El. d. Trypherâ Persica & aliquid de Ext. hell. nig. felle taurin. inspissato. Item ad contemperandum æstum utilissimè aliquid de nitro sive nativo sive præparato additur. Nec peccant illi, qui cum *Munderero* quoq; alexipharmaca esse admiscenda monent.

LI. Stat itaq; sententia firmo mihi talo, in principio Morbi Ungarici & febriū proinde Malignarum omnium purgantia fortiora angue pejus cavenda, fugienda, detestanda. Non idem verò de vomitoriis quæ non protinus susque deq; habenda. Quoties enim contingit ut materia  
alli-



assiduo moveatur sursum, & natura, brevi, ut sic dicam manu, ac citose ita exonerare gestiat. Sanè sæpissimè. Ergo Medicus, qui naturæ minister, illam debito succursu juvare tenetur: Hoc enim medio materia corrupta, quæ in primis detinetur viis, & malignitatem insigniter fovet, mirando & stupendo effectu, confestim & confestim, citò & tuto rejicitur, adeò ut ægrotus nisi omnimodò à morbo liberationem, insigne tamen exinde levamentum persentiscat, & non incertum ad convalescentiam gradum adipiscatur. Sint autè hæc vomitoria lenia & mediocria. v. g. ꝑ. Vitriol. seu vomitorium Vitriolatum, quod vehementer in malignitatis casu commendatur. *Vid. Sala. in Tem. Emetol. Quercetanus Tetr. & in Pharmac. restit. Sennert. inst. Begu. in Tyroc. Chym. Guilhelm. de Avison. in Phil. Pyrotech.* Peculiare quoq; vomitorium descripsit *Tobias Coberus in scholio. &c.* Fortiora autem, uti Fl. croc. & vitrum Ònij it. Mercur. vitæ hic vitanda.

LII. Primis viis hoc modò & motu hoc proclivi à vitiosorum humorum congerie mundatis, sine morâ ad sudorifera & Alexipharmaca, tanquam ad sacram anchoram confugiendum est. In quibus totius curationis cardo vertitur ac maxima salutis spes posita est. Quamvis autem plurima contra horum usum afferant *Job Thomas Minadous l. 2. de feb. malign. c. 16. & Sylvaticus in controv.* tamen ut levidensia & nullius momenti gerras cum *D. Sennerto & Rulando* floccifacio.

LIII. Inter simplicia Alexipharmaca laudantur Carduus benedictus, angelica, Ruta, petasites, vincetoxicum, Terra sigillata, Silesiaca & Turcica, Bolus Armemus, cornucervi (& quidem præparatum potius, quam crudum, *vid. Horstium q. 4. dec. ult. probl. Ther.*) Item Unicornu de quo, quid in rei veritate illud sit, etiam si in thesauris passim, tanquam thesaurus miro pretio mirè pretiosus asservetur, careque habeatur & vendatur, vix aliquid certi quispiam affirmare potest, ut est apud *Sennert. c. 8. & Angelutium l. 3. cap. 5.* qui totam historiam de unicornu incertam facit. Item lapis Bezoar; qui hoc tempore ubique habetur, & tanta copia non sine ratione suspectus quandoque redditur. *Vallesii 4. meth. 7. auctoritate.* Scribunt & alii ex *India Medici*, eundem lapidem, illic locorum non nisi magna cum difficultate, ac inter ipsos Reges saltem inveniri. *vid. Casp. Baubin. de hoc lapide librum peculiarem.*

LIV. Inter composita celebrantur species liberant. electuarium de ovo Maximiliani, diascordium Fracastorii; & Theriaca, cujus usum in



his febribus laudant. *Herc. Saxonia in pecul. diff. Minad. l. 2. cap. 19. Ger. Columb. de febrib. pestilent. l. 1. cap. 13. Contra Capivaccium & Massariam: Vallesius l. 7. Epid. tom. 79. Angelutius l. 3. c. 8.* de qua ipsa quaestione vide plura apud *Jul. Cas. Claudin. s. 1. resp. 4. Roder. Forsec. cit. tr. f. 98.* Cautelas vero quæ in theriacæ usu sunt observandæ, lege apud *Mundererum cit. c. de pestil. & Hieronymum Perlin. de Alexiteriis.*

LV. Multum imò quam plurimum in morbi quoque hujus profligatione, medicamentis arte Chymica paratis, quicquid etiam jejuni chymix ofores Theonino dente rodant, deberi, Sole meridiano nunc clarius est. Sciendum tamen nasutulis & illis omnibus qui nodum in scirpo etiam quærere non verentur, non à quovis Cinifone elaborata, medicamenta me protinus approbare, sed ea solùm quæ ab iis qui rationem & experientiam fidam in pectore gerunt commendata velle. Ut itaque Medicus Spagyricè præparatis medicamentis curet citò tutò jucundè & ex voto, necesse est, ut talia à perito, industrio & bonæ fidei artifice petat. eaque consideratis considerandis omnibus cum judicio & certa dosi demum adbibeat.

LVI. Chymica ejusmodi & præstantissima remedia hodie circumferuntur plurima, quæ tamen unius formæ non sunt, quum præter aquas magistrales, dentur Spiritus, essentiæ, olea, extracta, magisteria, soluta, pulveres, salia, balsami, elixiria &c. Sive sint è regno vegetabili, sive minerali sive etiam animali deprompta atque parata. Quorum copiam frequens Chymicorum feliciter suppeditabit labor & lætatio. *Celeberrimus Dn. D. Joannes Michaelis Medic. Prof. & Practicus Excellentiss. faustissimo successu morbos malignos (adeoque & Hungaricum) expugnat sua Tinct. Bezoard. item Bezoardico & Diaphoretico (quod Dn. D. Agricola Chymicus Experientissimus l. d. Antim. descripsit) item Ebore s. Δ. CC. s. Δ. &c.*

LVII. Provocato jam sudore operimenta non sunt extemplò rejicienda, nec frigida aura captanda, ne cutis spiraculis frigus sese insinuet & ita malignitas rursus pellatur ad centrum, neve constipentur pori, quâ ratione retinetur malignitas & insensibilis trãspiratio impeditur: sed sudor calidis linteolis blandè abstergendus, membra ulterius calidè habenda, cibus conveniens apponendus, & Analepticis cordi viribusque succurrendum est.

LIX. Diuretica etiam insignem usum & fructum præstant, quum  
renes



renes etiam in morbis hisce malignis non perfunctoriè laborent & obstructi æstum satis superque flagrantem efficiant: quod non fieret, si copiose mingerent ægroti & renes acre sanguinis serum debito modo emulgerent. Credere negas? Vide modo quàm fœda & turbida compareat urina Morbo soluto: Ideoque ratio dicitur, quid hâc in parte agendum quoque Medico. Nam certò mihi persuadeo, per urinarios etiam meatus naturam absque ullo periculi metu, & absurditate ulla naturam malignam & morbificam posse expellere. Cavendum tamen est ab illis diureticis quæ calidiora existunt: Usurpanda vero quæ Dn. Sennertus & Rulandus commendant, ut agrim. capill. Vener. asparag. Item hâc occasione non laudare non possum nitrum præparatum, cum vel sine antimonio fixatum quod inter virtutes reliquas renibus quoq; egregiè conducit, eosque officii sui mirè commonefacit.

LIX. Hæc ipsa igitur facienda sunt, altera tamen non negligenda, non omittenda. Quacirco ad vitalem quoque fontem auxilii media sunt dirigenda, & cor corroborantibus est sustentandum; id quod tam internis jugiter expediri potest, quam externis.

LX. Ex illorum censu possunt esse conf. rosar. rubrar. Vitriolata, Violarum, Borrage. Bugloss. Tunic. pulpæ citri &c. Syrup. Granat. acidi Corallior. citr. Ribium, imprimis Syrupus de citris compositus, Mag. perl. Corall. Magist. cordiale Dn. D. Michaelis. Potest etiam hæc potio præscribi R. v. Cardial. Herculis Saxonie ℥ij Syrup. acet. citri simpl. vel perlati ℥ss. Tincturæ Bezoardicæ ℥j Detur in fictili S. Hersterck. Wasser. Item pulvis Analepti. sc. Mundereri, Bezoardicus D. Sennerti & quæ sunt alia: quorum tamen instar omnium esse potest supra laudatum Bezoardic. cum Magisteriis cordialibus, ritè & certâ dosi commixtum v.g. R. Mag. Perl. Corall. aa ℥ss Bez. Oris gr. VI. vel magisterii Cordialis ℥j Bezoardici Oris gr. X.

LXI. Ex horum ordine cordis regioni & pulsibus applicanda sunt Balsamus Alexicacus, Hermetis decatissimi Dn. D. Michaelis ol. scorpionum Matthiol. araneorum Mundereri Citri, Rutæ, Rosarum, Acetum Rosarum, Scordii, Citri, Angelicæ. Sacculi cordiales Aceto rosarum madefacti. It. aq. carfunculi & ol. ejusdem.

Cj

At



At si exanthemata foris apparuerint, madida Epithemata locum hic non habebunt secundum Mundererum.

LXII. Ex fonte Chirurgico venæsectionis præsidium desumere multi sunt, qui religionem non putant, existimantes, quo citius sanguinis imminuatur copia, eo & malignitatis causa (*vid. Gabelhor, in Curat. & obs. Med.*) Deinde alii eam præcipiunt ob morbi magnitudinem, putredinem, obstructions, calorem p.n. & nescio propter quod amplius, quæ omnia sic emendare & corrigere tentant. Rursus quidam parcè saltem venæsectione utendum esse, dicunt, alii vero (quod nimis durum & crudele vel auditu) ad animi usque deliquium eandem imperant. Denique alii quoque sunt qui macularum eruptionem expectandam esse, statuunt.

LXIII. Verum quum majoris momenti deprehendam prohibentia, quam illa (quæ variè hic accipiuntur) indicantia, cum Burggravio Venæsectionem (l. cit. cap. 7. & 8.) planè rejicere placet: Idque propter vires, quarum velut anima est sanguis, & quibus ad evincendum morbum natura utitur tanquam armis fortissimis. Ideoque venæsectionis Præceptor quid præstabit aliud quam patienti ultimæ imbecillitatis lassitudinem temerario ausu imponere, quàm sanguinem ter & amplius praviolem reddere (præsente enim vitioforum humorum apparatu quid sperandum in propatulo est) quam denique benignam naturam, ut victas manus porrigat aut in conatu suo turbetur, defraudare. Forsan plethora cuiquam obstat. Nolo tam levi iudicante tanti pænitere mihi emere. Præterea adest exæstuans calor, adest malignitatis furor, adest elabendi labor, quæ singula quidquid abundat sanguinis, nimis quam maturè valent consumere. Ubi tandem meliora & tutiora subsunt præsidia, nefas foret ad periculosa & extrema intentionem inclinare. In hac mea sententia confer quæ habet *Mercurialis l. 5. de febr. Ruland. & Bernhard: Conrad. nec non Mundererus de eadem materia.*

LXIV. Neque venæsectionem in pedibus quæ fit approbare possum ob adducta argumenta.

LXV. Cucurbitulæ quoque scarificatæ, si cruribus vel inferiori dorso regioni affiguntur à corde & partibus superioribus revellunt. Quod præsidii genus quoque in principio morbi non

ap



approbare possum, sed differendum in decrementum illius satius autumo.

LXVI SYMPTOMATUM, ceu ex signorum doctrina patet abundè prolixus est Catalogus, ut etiam benignorum præter naturam affectuum reperiatur nullus. Ex quibus metantum principaliorum meminisse juvabit.

LXVII. Ergo dolor capitis placatur Epithemate frontali. R. solani, Lactucæ Nimpheæ aa  $\mathfrak{z}ij$  Verbenæ  $\mathfrak{z}j$  nucl. perf. excort. No X.F. Emuls. adde cranii humani pp  $\mathfrak{v}$ . nitri anodynii  $\mathfrak{z}j$  Camphor. gr  $ij$  in casu necessitatis Opij Thebaici in Spir. vini solut. gr. v.  $vj$ .

LXVIII. Vigiliæ immodicæ sistuntur Emulsionibus semin. papav. albi, amygd. dulc. Endi, cum  $\nabla$  rofar. & fragmentis lap. prætorum corroborandi gratiâ additis. Laudanum opiatum. item Pulvis anodymus confortativus *Excellentissimi Dn. D. Michaelis* cujus efficacia præsentissima, utilitas maxima, inevitabilisque necessitas digno encomio hoc in affectu vix ac ne vix quidem satis decantari potest.

LXIX. Aliis inclinatio nimia ad somnum præter naturam adest; quibus convenit acetum rutaceum & Bezoardicum.

LXX. Pro lingua arida & faucium exulceratione convenit gargarismus & oris collutio. R.  $\nabla$ . prunell. canror. fluviatil. semperviv. aa  $\mathfrak{z}ijj$  Sal. prunell.  $\mathfrak{z}j$  rob. diamori, Sambuci aa  $\mathfrak{z}ij$ . M.

LXXI. Lypothymias sedat  $\nabla$  virtutum composita. Magnanimitatis ex formicis, carfunculi, cordis cervi; cordiales Herculis Saxoniae, Balsamus, ol. carfunculi.

LXXII. Sitis quæ oritur ex incendio pulmonum, *Sennert. 4. de febr. cap. 18.* potulentis rarò extinguitur sed potius aere frigido attracto & globulo Crystallino ore admoto; *Horst. obs. 29.* quæ vero ex ventriculi æstu proficiscitur mitigetur aquis & decoctis hordei cum C. C. refrigerantibus alterantibus julebo Ros. seu Violar. In utraque os crebrò eluatur aquâ fontanâ frigidâ cum modicò aceto rosaceò vel etiam oleo prunellæ. Convenit etiam tin-



tinctura violarum Rosarum fl. tunicæ, si cerevisiæ aliquot guttas immittis.

LXXIII. Alvi obstructiones, ad quas cum primis respiciendum, non sunt parvi habendæ. Igitur supra præscripto clystere utris commodissimè.

LXXIV Perpetuo alvi fluxui quoque resistendum pane cydon. & stipticis convenientibus aliis, quibus tamen alexipharmaca non admisceri non debent, imprimis convenit liquor stipticus.

LXXV. Perpetuos vomitus sistes, si regionem stomachi inunges ol. absinthii Mastich. Cydon. it. ol. & Emplast, stomach. Craton. &c.

LXXVI. Diæta hic omnibus respondeat; AER in activis qualitatibus sit temperatus. Alteratur suffumigiis ex radice Angelicæ baccis juniperi, lauri corticibus, citri; pulvere pro fumo usuali.

CIBUS sit  $\epsilon\upsilon\chi\upsilon\mu\omicron$  &  $\epsilon\upsilon\pi\sigma\pi\tau\omicron$ , condiatur acidis, uti suc. limonum, citri, granator. berber, ribium, aceto rosac. Potus sit cerevisia clara defæcata, aqua acetosa, decoct. hordei cum C. aqua hordei cum passulis parata. It. decoctum citri Vinum sit dilutum. ANIMI PATHEMATA fugienda.

LXXVII. Sed manum de chartâ, mentem ad vota. Faxit JEHOVA Pacis Dator Clementissimus, ut cum infausto castrorum nomine pereat infausta morbi species, Matris pessimæ pessima proles. Dispereat infortunium omne, & redeant, quæcunque densa, & funesta bellorum tristitia obfuscavit hæcenus, beatæ felicitatis commoda cuncta!

Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem  
Luciferum roseis candida portet equis.

F I N I S,





Leipzig, Diss., 1645/49

ULB Halle 3  
003 265 218



Sb.


WMA











B.I.G.

Farbkarte #13



12 31

liatore Suo

M MEDICAM

STRENSI

RICO

GEN, Phil. & Med. D.

. Anatom. & Chei-  
Publ.

aminandam publi-

QUART. Susa-

tembr. loco horisq,

E,  
KOLERI.

9.